

PROPOSITIO SECVNDA.

¶ Circulum Quadrantis huius & lineas nonnullas apte explicare.

AGe nunc primo hoc loco Circulos, lineas, literasq; & duct⁹ minutissimos oēs quos facies Quadrantis cōplectitur, explicemus. Quadrans propositus angulos tres habet, singulos elementis singulis notatos, & E quidem centro adscripsim⁹, puncto scilicet totius circuli, vnde quadrans hic excisus est, medio. Inferius autem penes circumferentiā adleuam posuimus G, dextrorsum vero ad finem eiusdem periferiē constituimus F, & à G quidem in F numeri aliquot positi sunt à 5. in 90. vsq; gradus ipsos designantes, sicut adiuncta docet diuisio, gradusq; adeo illi altitudinum dicuntur. Id vero in facie eleuatiōi polari tm̄ conuenit 48. graduum, & vnus vltra citraq; illos, hoc est graduū 47. 48. 49. Reliquæ facies (ad aliquot .n. eleuationes quasdam adhuc partes anteriores construxi) transuersas p̄ modum crucis habent lineolas, quarum quelibet gradum per quem ducta est significat. Sed & literæ G numeri aliquot additi sunt, ab 1. vsq; in 8. ex vtroq; latere, qui sane latitudines Planetarum ab Ecliptica indicant, addito tamen nominatim discrimine meridionales ne sint illi an septentrionales, Arcus porrò F. G. pro toto hic vsurpatur Zodiaco, sicut & in sequentib. audies & ipsi per se satis testant Characteres signorū.

PROPOSITIO TERTIA.

¶ Circulum vnā cum punctis suis vnde altitudinum latitudinumq; & distantiarum patet cōmensuratio, exacte intelligere.

NE hac quoq; parte tibi quisquis es huius rei vt iucundissime ita longe vtilissime studiosus nostra desit opera, Ecce super circulum F. G. alium adhuc vides H. I. vtrinq; vsq; ad medium in partes 100. dissectum. Ex quibus puncta priora 100. ab H. vsq; ad medium, vmbre rectæ puncta dicuntur. Ab 1. vero itidem vsq; ad medium puncta vmbre versæ, vtriq; sui sunt adiuncti numeri a 5. vsq; in 100.

PROPOSITIO QVARTA.

¶ Tertium Circulum K. L. cui stellæ aliquot cum numeris insiti sunt, à cæteris probe dignoscere.

Adhuc tm̄ super illum circulum seu orbem H. I. in alio stelle designatæ sunt quedam cum numeris, in quibus intellectus geminus latet, Sunt .n. stellæ ex ijs quedam quæ in medio puncta habent candida, qua nota illæ dignoscuntur primæ esse magnitudinis, & hæ claritate Planetis sunt proximæ. Alię porro in quibus punctula huiusmodi nō cernuntur, secundæ sunt magnitudinis, priorib. paulo obscuriores, quales vides in vrsa maiore. Numeri autem appositi aliud non significant, nisi quo illas penes hos ita cognoscas, vt eas in tergo deinceps querere possis. Stellæ istæ in circulum hic collocatæ sunt, secund⁹ eleuationem polarē graduum 47. 48. 49. Verum in cæteris facieb⁹ quadrantū. horę meridianę sunt adiunctę, puta duodecimę, quę etiā locū nō paulo cōmodi⁹ occupant.

PROPOSITIO QVINTA.

¶ Lineas horis cōmunibus accommodatas cum suis numeris discernere.

DVæ etiam sunt a leua dextrorsum descendentes, aliæ lineæ 10. interdum 11. put eleuatio Poli ex postulat. Ductæ inquam nec recte nec circulariter, sed hinc inde per ambages, sicut iusta diuisionis requirebat proportio, & illæ quidem horas significant cōmunes cum numeris suis, Quarum prima illa eademq; longissima, indicante idipsum numero duodecimam signat & diei & noctis, sicut infra patebit.

Propo